

querendum: aut deplorandum. Quin maxima potius uidetur usus indulgentia. Nam si in hoc breui spatio tanta rapi insania plerosq; mortaliū uideamus: ut nihil apud eos compositum pacatumq; sit: nihil pensi habeant aggrediendis in rebus: Dum libidini suę pareant omnia perturbationibus misceant. Disidiis: Bellis: ruinis: omnibusq; calamitatum generibus. Quid tandem futurum fuisse existimandum: si longius illi uitę spatium: ut Ceruo: ut Elephanto longinquas quoq; spes natura tribuisset: Porro breuitas hęc adimit: aut certe mitigat plerisq; cupiditatem & ardorem: multas: nouandi res: multas turbandi. Cum imminere iam sibi tam cupiditatum q̄ earum fructuum finem conspiciunt: ut ille sint interdum quasi ante flauam segetem præcidendę. At uero si longiora in spatia mittere spes liceret: Cui nam dubium est tentaturos fuisse homines: ut per ea quę producturi essent secula feliciorē rebusq; omnibus opulentiorē agerent uitam? Quis etenim seruire semper uellet: Quis non regnare etiam? Quis semper in paupertate degere. Quis non per seculus etiam & sanguinem alienum aurum: & opes appetere? Bene igitur cū homine actum est. Summa nāq; dei sapientia quod in homine seruire erat: fluxum caducumq; fecit. Quod uero regale: diuinitatis partem aliquam cōmunicauit: Immortalemq; dedit. Neq; enim satis fortis per se efficaxq; erat ratio: ut hominem a nefandis cupiditatibus abstraheret: nisi breuitatem uitę: quasi frenum addidisset. Neq; inficior esse nonnullos qui bonitate naturę constantiq; & minime uana mentis ratione per sese mittere sub pedibus perturbationes quasq; intemperantes & turbulētās possint uirtutemq; ipsam expeditis animis sequi. Cæterum cum his indulgentius se habet diuina sapientia quibus pro uirtute meritisq; mercede non dilata in celestem q̄ primum: & nunq̄ defuturam recipit beatitudinem. Et præterea immensa illa summi dei bonitas non ad paucorum tantum utilitatem fructumq; respicit: q̄ ad uniuersi totius cui moderatur utilitatem & decorem ut eius pulchritudo cunctis ex partibus pariter eluceat. Quibuscunq; igitur contigerit hęc meditari non paruo illis solatio inter erumnas huius uitę quas effugere non possumus: Lectionem istam futuram speramus. Ita sursum deorsumq; per hos annos omnia diuina & humana uersata sunt. Prosequemur igitur de aduentu Athilę regis in Italiā quid acceperimus. Queq; ab eo multis horū stagnorū urbibus initia sunt data. Athila alpestri iugo superato continuato itinere ad Sontiū amnem peruenit. Diuidit hic amnis ab alpibus cadēs carfos montes olim Iapidiā uocatos ab reliqua Venetia. Inq; eo loco maxie ī angustū coit quicquid ē iter alpes & mare. Neq; n. ibi latitudo patet plus quinq; & uiginti milibus passuū. Hi uero qui nunc uocantur Carsii mōtibus haud multū arduis: sed lapidosus admodū asperatur: circūflectuntq; Tergesti-